



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 136. Fregosius illis Gallis urbem sibimetipsi vendicat

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C 1446.

§. CXXXV.

*Genua a Joanne Fregosio Regio nomine occupata.*

*Bellef. 1.5.  
cap. 106.*

**H**i cum Nicæam usque pervenissent, Janus Fregosius, ex primoribus factionis unus cum suis copiis, quas Genuam inter & Pisas tenuerat, quædam circumvicina loca nomine Regio occupavit, & paulo post superato Genuensium portu trecentis militibus stipatus, erecto Galliarum Regis Vexillo Genuam intravit, ubi confestim a factionis suæ complicibus cum gaudio exceptus est, cunctis ubique festive conclamantibus: *Vivat Francia.* Ille vero recta ad Adornii Ducis, qui primo armorum strepitu percepto fuga sibi consulerat, palatium contendit.

§. CXXXVI.

*Fregosius illis Gallis urbem sibi metipso vendicat.*

**F**regosius urbe armis suis plene subacta, haud amplius alieno Regis nomine, sed propria auctoritate velut supremus Reipublicæ Dominus rem gerere cæpit, Gallisque, quorum armis, atque nummis urbem occupavit, nequiter illudens dicebat: armis hanc urbem occupavi, armisque illam contra omnes tuebor. His  
auditis

auditis Regis Legati Massiliam redire Sæcul. XV.  
A.C. 1446.  
compulsi sunt, Rege Galliae ex tota hac  
expeditione bellica haud aliud commo-  
dum referente, quam quod Finarium,  
quam urbem, Fregosius eidem ad co-  
pias, si opus fuisset, in terram exponen-  
das antea tradiderat, suae ditioni cesse-  
rit. Rex praesenti rerum suarum statu  
aliunde satis ambiguo praepeditus, inju-  
riam sibi illatam ulcisci ausus non est.

## §. CXXXVII.

*Guilielmi de Linwod & Bartholomæi  
Carthusiani obitus.*

Hoc anno Reipublicae literariae erepti Dupin. Bibl.  
script. to. 12.  
p. 91. & 118.  
sunt duo magni nominis Viri, quo-  
rum primus erat Guilielmus Linwodus  
Anglus in universitate Oxoniensi Cæsa-  
raei, & Pontificii juris consultissimus. Hunc  
Henricus V. Angliae Rex ad Hispanum  
atque Lusitanum Reges, Legatum mi-  
sit. Cum autem Henricus naturae de-  
bitum solvisset, Guilielmus relicto aulae  
tumultu, in Angliam se recepit, ubi in  
urbe S. Davidis (\*) Episcopalem sedem  
obti-

(\*) Harpsfeldius in sua Historia Ecclesiae  
Anglicanae saeculo XV. cap. 30. Linwodum in-  
ter Cambriae seu Walliae Episcopos numerat,  
& Menevensis Sedem administrasse refert.